omne contempserat. Contempne nunc eius fortune hominem in quem dum contempnis transire potest. Sic cum
inferiore vivas quemadmodum tecum superiorem velis vivere. Quociens in mentem venerit quantum tibi
in servum liceat, veniat in mentem tantundem in te dominum tuo licere. At tu dicis ego
nullum habeo dominum. Bona etas est. Forsitan habebis. Vive cum servo clementer, comiter quoque, et in
sermonem illum admitte et in consilium. Erras si existimas me prosequi quasi sordidioris ope-
re reiecturum, ut puta illum mulionem et illum bubulcum. Non in ministeriis illos estimo sed in
moribus. Sibi quisque dat mores. Ministeria casus adsignat. Quidam cenent tecum quia digni
sunt, quidam ut digni sint. Si quid enim in illis ex sordida conversatione servile est, honestiorum
convictus excuciet. Lucili non tantum amicum in foro et in curia queras. Si diligenter adtenderis
et domi invenies. Sepe bona materia cessat sine artifice. Tempta et experire. Quemadmodum stultus
est qui equum empturus non ipsum inspicit sed stratum eius ac frenos, sic stultissimus est
qui hominem aut ex veste aut ex condicione que vestis modo nobis circumdata est estimat.
Servus est. Sed fortasse liber animo. Servus est. Hoc illi nocebit. Ostendite quis non sit.
Alius libidini servit, alius avaricie, alius ambicioni, omnes timori. Nulla servitus
turpior est quam voluntaria. Non amor cum timore miscetur. Hoc habent inter cetera bo-
ni mores: placent sibi, permanent. Levis est malicia. Sepe mutatur, non in melius
sed in aliud. ¶ Consociacio omnium rerum inter nos facit amiciciam. Nec secundi quicquam singulis est
nec adversi. In commune vivitur. Nec potest quisquam beate degere qui se tantum intuetur, qui
omnia ad utilitates suas convertit. Alteri vivas si vis tibi vivere. Hec societas diligenter
et sancte observanda est que nos omnes omnibus miscet et iudicat aliquod esse commune.
Omnia enim cum amico communia habebit qui multa cum homine. ¶ Punctum est quod vivimus et
adhuc puncto minus. Ingens negocium in manibus est. Quid agam? Mors me sequitur, fugit
vita. Adversus hec me doce aliquid. Effice ut ego mortem non fugiam, vita non effugiat.
Doce non esse positum bonum vite in spacio eius sed in usu. Posse fieri, immo sepissime fieri
Nō. ut qui diu vixit parum vixerit. ¶ Nemo se avarum esse intelligit. Nemo cupidum. Ceci tamen
ducem querunt. Nos sine duce erramus et dicimus ego non sum ambiciosus, sed nemo
aliter Rome potest vivere. Non ego sumptuosus sum, sed urbs ipsa magnas inpensas exigit.
Non est meum vicium quod iracundus sum, quod nondum constitui certum genus vite. Adolescencia
hec facit. Quid nos decipimus? Non est extrinsecus malum nostrum. Intra nos est, in visceri-
bus sedet. Et ideo difficulter ad sanitatem pervenimus quia nos egrotare nescimus. Si curari
ceperimus, quando tot morbos tanta sue res discuciemus? Nemo difficilius ad naturam reducitur
quam qui ab illa defecit. Erubescimus discere bona mentis. Ad neminem ante bona mens
venit quam mala. Omnes preoccupati sumus. Virtutes discere. Sed eo maiore animo ad emendacionem
Nō. nostri debemus accedere. Philosophia pariter salutaris et dulcis est. ¶ Non tantum corpori salubrem
locum eligere debemus sed et moribus. Quemadmodum inter tortores habitare nolim, sic nec
inter popinas quidem. Videre ebrios per litora errantes et simphoniarum cantibus strepen-
tes lacus et alia que velud soluta legibus luxuria non tantum peccat sed publicat.